

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1748)
Heft: 9

Artikel: Nomothesiaie ecclesiae Christianae ex certis principiis deductae & modeste vindicatae sectio secunda sistens & refutans falsa principia huius nomothesiaie

Autor: [s.n.]

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394619>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 30.01.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

NOMOTHESIAE ECCLESIAE CHRISTIANAE

Ex certis Principiis deductæ
& modeste vindicatæ

SECTIO SECUNDA

Sistens & refutans

Falsa Principia hujus Nomothesiæ.

§. I.

*P*rinzipium Nomothesiæ Christianæ illud dicitur, ex quo Capita Religionis Christianæ, Dogmata, Mysteriora, Mores, Cultus, Vaticinia, Regimen petuntur, examinantur, vindicantur.

Unaquæque Scientia suis innititur Principiis. Unaquæque Societas habet Regulas, quibus regitur. Pariter comparatum cum Nomothesia Christiana. Si caret Principio, vel innititur falso, tum obtinet in Ecclesia ἀναρχία vel Regimen est falsum, confusum. Omnia memorata Capita ab hoc Principio dependent. Non unum & alterum tantum. Quæ ratio Mysteriorum, ea Morum, Cultus Christiani &c. essentialiter spectati. Tanto perfectior est Nomothesia Christiana, quo omnia dicta plenius purius a Principio suo dependent. Vice versa tanto imperfectior, impurior, quo plura excipiuntur, humana, Ecclesiastica ceu Divina iis admiscuntur.

§. II.

§. II. *Principia dicta Nomothesiæ, quæ inter Christianos circumferuntur, sunt plura, diversa, imo opposita.*

Sunt enim A. *Ratio & Usus Sensuum in Rebus Religionis Christianæ dominans*, jam modo valde imperioso, quo Mysteria Fidei, Miracula, Vaticinia e Theologia absolute eliminantur; jam modestiori, quo Sensus Scripturæ fingitur, torquetur, quem Ratio cum Sensibus commodum putat, non quem voces Sacræ, Nexus, Scopus, Loca Parallela poscunt. Illo modo opinantur Deistæ; Hoc Soci-niani & consimiles. B. *Auctoritas humana, quæcunque illa. Sive Parentum, sive Magistratus, sive Ecclesiæ.* Parentes, Principes, Personæ Ecclesiasticæ vel earum Caput auctoritative Liberis, Subditis, Laicis præscribunt credenda, agenda, colenda, speranda. Non concedunt liberum examen, interpretationem, professionem fidei, cultum, spem. Coguntur fidem profiteri, vivere, Deum colere, spem testari pro Imperio parentum, principum, Ecclesiæ sub gravissimis pœnis, ex-hæreditatione, exilio, terribili excommunicatione, vel ipsa morte. C. *Historia.* Illa Nomothesia invariata tenenda, quæ superioribus seculis; Quæ antiqua. Omnis innovatio male audit. D. *Solum, purum, totum Dei Verbum, Veteri & Novo Testamento contentum, ex propria ejus Interpretatione ac lumine Spiritus S. recte intellectum.* Sive sola & omnia dogmata, præcepta, cultus, regimen Ecclesiæ, vaticinia quæ in sacris extant, constituunt principium Nomothesiæ Christianæ.

§. III.

§. III. *Quandoquidem Principia hæc non solum sunt diversa, sed & opposita, una stare nequeunt. Soli- cite inquirendum itaque, quænam falsa & quodnam verum.*

Ratio cum usu Sensuum stare nequit cum Au-
 ctoritate humana, Historia, Verbo Divino. Ra-
 tio enim nullam rationem habet Auctoritatis hu-
 manæ, qua talis, neque Historiæ recensentis
 qualis olim fuerit Nomothesia, vel etiam Mysterio-
 rum, Miraculorum, ceu quæ cum Ratione & usu
 Sensuum non conveniunt. Auctoritas humana
 simpliciter stat pro sua Religione, quam solam ve-
 ram habet, & armis carnalibus defendit. Si so-
 lidæ rationes, certa Documenta, Interpretatio-
 nes Scripturæ genuinæ obstant, nullo loco ha-
 bentur. Auctoritas jam sufficit, traditiones eam
 confirmant. Principium, quod Historia non mo-
 vetur rationibus aut probationibus scripturariis.
 Valet: & dominatur. *Olim status ecclesiæ talis fuit.
 Talis etiamnum esse debet.* Verbum Dei vere tale
 non cedit rationi, testimoniis sensuum, nulli au-
 ctoritati humanæ, non documento historico. O-
 mne, quod Deus certo revelavit, indubitatum
 principium est fidei, vitæ, cultus, regiminis,
 spei in rebus religionis christianæ. Hæc genera-
 tim de differentiis & oppositionibus principiorum
 fidei christianæ. Alia specialia, quæ inferius in
 suis locis occurrent, brevitatis studio hic non me-
 moro. Sponte enim sequitur inquirendum esse,
 quodnam Principium Nomothesiæ sit verum &
 quænam falsa. Ab his incipiemus, ut tutius ascen-
 damus ad verum.

§. IV.

§. IV. *Principium Nomothesiæ Christianæ non est ratio cum usu sensuum.*

Probe tenendum, rationem cum usu sensuum negari esse principium Nomothesiæ Christianæ, idque dominans. Non tamen negamus varium dari usum eumque servientem. Linguas originales hodie non disco modo miraculoso, sed ope rationis. Confero Scripturam cum Scriptura eadem ope; formo quoque ita consequentias. Quæ rationalia, sensualia in sacris sunt, non contrariantur rationi & sensibus. Quin rationalia & sensualia sacra illustro, deduco, probo mediante ratione & sensibus. Itidem ex sacris rationalibus & sensualibus illustro, probo, confirmo, suppleo rationalia & sensualia communia. Apostoli olim acceperunt donum linguarum. Hodie Philologi & Interpretes magno discunt labore linguas, Hebraicam, Chaldaicam, Græcam. Ope Concordantiarum novi loca parallela. Recte ratiocinor plures non dari Deos, quia unicus est. Ratio & sensus docent Deum esse spiritum omnipotentem, sapientem, bonum. Confirmor hac in veritate naturali, legens, perpendens Scripturam. Ratio docet mundum non esse ab æterno, esse in tempore conditum. Verbum Dei non solum plene, fortiter confirmat, sed insuper docet tempus, modum & ordinem Creationis. Gen. I.

§. V. *Rationem cum testimonio sensuum non esse principium Nomothesiæ Christianæ docet primo inductio quorundam capitum Religionis Christianæ.*

Talia sunt Mysterium Dei Triunius, incarnationis Filii Dei, mortis ejus, resurrectionis, causæ

causæ salutis totius generis humani, regenerationis, abnegationis sui ipsius; beatæ & gloriosæ Crucis, Baptismi, S. Cœnæ, vaticiniorum, de successione Imperiorum Dan. II. Speciatim ruina Babylonis, regno millenario, dignitatum summorum, regiarum, sacerdotalium in pisces, publicanos, Lazaros conferendarum. An hæc & talia capita Religionis Christianæ ex principio rationis & usu sensuum discuntur? An lumen rationis post longius tempus, & profunda ratiocinia docet Deum verum esse Patrem, Filium & Spiritum? Vel an docet Filium Dei esse incarnatum, esse adeoque Θεάνθρωπον, crucifixum, in gloriam assumptum, salutem totius mundi? Vel an ope solius rationis novi hominem carnalem, templum Spirituum impurorum, per fidem in Christum converti in Templum Dei vivi? An ratiocinando invenio crucem ob professionem Doctrinæ Christianæ ducere ad æternam gloriam? An usu rationis excogito immersionem in aquam, fructum cibi & potus dare spiritualia bona? Quæ illa acuta ratio prævidens, prædicans singularia fata mundi & ecclesiæ, qualia in vaticiniis prostant, partim impleta, partim implenda? Aliter cogitavit Daniel cap. II. 22, 28. Non solum talia ratio sibi relicta non docet, sed etiam non examinare, dijudicare, probare valet. Sume *Celsum*, *Lucianum* similesque in ratiocinando exercitatos. Proponere iis memorata & alia capita Religionis Christianæ. Selige fortissima argumenta. Inculca illa, qua licet acie oris & calami, & vide num sola ratione & usu sensuum Philosophi victas tibi daturi manus ac confessuri: *Deus unus est trinus: Filius Dei in carne manifestatus.* &c. Concedo Philosophum

phum ope rationis & sensuum invenire Deum esse, ens esse incomprehensibile, plurima arcana in eo latere, fore iudicium secundum opera, & quæ talia. Sed capita, quæ propria sunt Religioni Christianæ, ratiocinando non inveniet, non convincetur de iis, nisi aliud accedat principium.

§. VI. *Hoc ipsum fortius probatur Testimoniis Scripturæ, quorum tria extantiora proferam, exponam, stringam.*

Ipsa Scriptura de Mysteriis Evangelii minime testatur esse illa tantæ Claritatis, ut attentior non nisi ad Rationem & usum Sensuum ea sit inventurus, vel recepturus aut demonstraturus: Quin contrarium clarè & sæpius testatur, alias non essent *μυστήρια*, sed *γνώσιμα*. Testimonium primum exstat Matth. XI. 25. 28. Doctor cœlestis loquitur de Mysteriis, ut ex Nexu constat, præcipue v. 27. *Nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem quisquam cognoscit, nisi Filius.* Hæ enim Veritates sunt evangelicæ. Has vero *οὐδεὶς* nemo cognoscit, quicumque ille, magni etiam, ut videtur, Ingenii, Iudicii. Solus Pater & Filius cognoscunt. Naturalia cognoscunt omnes rationales & sensibus præditi. Dictæ Veritates sunt quidem nunc pluribus cognitæ, sed non ex propriis Mentis humanæ viribus, verum ex gratiosa singulari Revelatione Patris & Filii. Hinc legimus v. 25. *Pater revelavit, v. 26. est ἐκδοξία Patris & v. 17. & cui Filius revelare vult.* Si non revelare vult, veritates hæ occultæ sunt & manent. Speciatim notandum, quod occultæ sint *sapientibus & intelligentibus.* Opinamur communiter sapientes
 Tom. III. F &

& intelligentes præ aliis, speciatim infantibus, scibilia, varia, altiora nosse, ratiocinando profundius penetrare. Sed aliter se habet cum evangelicis: hæc *occultata sunt sapientibus & intelligentibus & revelata infantibus*. Si principium articulorum evangelicorum esset ratio cum usu sensuum, tum non occulti, tum sapientiores & intelligentes aptiores, quam infantes. At cognitio eorum dependet a gratiosa singulari revelatione Patris & Filii. *Secundum* Matth. XVI. 16, 17. & 21-23. Testimonium hoc quoque agit de veritatibus evangelicis, scilicet *Jesum esse Christum Filium Dei vivi, fore primo in statu Exinanitionis, postea Exaltationis*. Nemo controvertet. De primo v. 16, 17. testatur doctor verax: *Caro & sanguis non revelavit, quod ipsum est ac Homo*. Hebræi hominem vocant *בשר ודם* *carnem & sanguinem*. Homo vero etiam constat mente & facultatibus ratiocinandi, judicandi &c: hinc se & alios instituit in rationalibus. Sed *caro & sanguis* non revelant *Jesum esse Christum Filium Dei*: Est articulus tectus Homini. Unde etiam alii auditores Christi eum ignoraverant v. 14. Elucet clarius ex oppositione: *Sed Pater meus, qui in cælis, scil. revelavit*. Si etiam ratio, testimonium sensuum hanc veritatem revelarent, nullus locus oppositioni. Etiam *caro & sanguis* revelarent. De altero vel articulo exinanitionis & exaltationis Christi v. 21, 24. Pertinet & hic ad mysteria evangelii. *Filius Dei eum revelavit*. Et quidem cum singulari effectu. Petrus attonitus Magistrum suum increpaverat dehortatusque erat. Talis effectus non solet esse, quando traduntur, audiuntur veritates rationales. Concedo tamen effectum hunc fortio-

rem

rem fuisse ob præjudicium, quo Petrus laboraverat. Confirmatur insuper verbis. *Non sapis, quæ Dei, sed quæ hominum.* Ergo status exinanitionis & exaltationis est *φρόνημα Θεῶν*, non *ἀνθρώπων*. Deus dives sapientia *φρονεῖ* sapit, judicat, revelat, genus humanum salvandum per passiones, mortem & gloriam. Aliud est *φρόνημα* hominum, imo contrarium. *Tertium* I. Cor. II. 6-15. Ex nexu cum antecedentibus Cap. I. & II. elucet, Apostolum agere de doctrina evangelica, speciatim Jesu Christo crucifixo, Salvatore mundi v. 23, 24. II. 2. quam Græci & Judæi stultitiam, scandalum habuerant. Qualis neque oritur ex ratione, nec ad gustum ejus est. De hac in citato testimonio Paulus primo *Negative* testatur, esse sapientiam non hujus seculi, neque principum hujus seculi, eam neminem principum hujus seculi nosse, addito fortissimo argumento: *Si enim cognovissent, Dominum Gloriæ Cruci non affixissent.* v. 6, 8. Ergo sequitur rationem & testimonium sensuum haud esse principium religionis christianæ. Esset alias sapientia hujus seculi, principes hujus seculi, philosophi, oratores præ aliis eam nosset, nam præ aliis exercitati sunt in ratiociniis & usu sensuum. At nemo principum hujus seculi, ne ullus quidem, quicumque ille, eam novit. Eminent in sapientia Dei Thema de Domino Gloriæ. Verum principes hujus seculi Dominum Gloriæ cruci affixerunt. Ergo non intellexerunt. Dein *affirmative* esse sapientiam Dei, non hominum, ceu quæ pro principio habet rationem & sensus, quæ hinc publice patet, quum Dei sit *in mysterio*, dogmatibus natura occultis, quæ hinc abscondita, quæ homines latet, quæque prædestinata ante secula ad gloriam nostram. Est ergo pro-

sus singularis, ab æterno decreta, ut christiani, Apostoli præ aliis gentibus, philosophis, laudem gloriæ habeant. Constat clarissime. Sapiencia hujus seculi enim discitur usu sensuum, maxime visus & auditus, & ratiocinando. Astronomia discitur oculos in cœlum attollendo, etiam armatos. Philosophia pythagorica discebatur institutiones Pythagoræ audiendo. Philosophus formatur attendendo ad ratiocinia cordis, quæ natura surgunt vel arte eruuntur, connectuntur. At doctrina evangelica est sapiencia, quam *oculus non videt, auris non audit & in cor hominis non ascendit.* Ergo aliud habet principium, quam philosophia, cujus principium ratio & usus sensuum. Dices: *Datur tamen sapiencia Dei in quibusdam. Unde eam hauriunt? Annon principium est ratio & usus sensuum?* Resp. Non. *Præparata est iis, qui Deum amant. v. 9.* Prærequisitum ergo in genuinis subjectis est amor Dei. Ipsum principium vero est *Spiritus Dei*, non mundi, non hominum. *Spiritus Dei vero omnia scrutatur*, intime novit, ipsas *Profunditates Dei*, veritates, quæ profunde in Deo latent. Unde scimus modum, quo fideles Sapienciæ divinæ participes redduntur, *Deus revelat per hunc suum Spiritum.* Ipsi fideles ex se veritates evangelicas ignorant, tectæ sunt iis. At operimenta auferuntur a Deo per Spiritum suum. Tegmine ablato facile perspiciuntur ea, quæ antea tecta erant. Illustrat Apostolus apta similitudine v. 11. *Spiritus hominis novit quæ in Homine*, cogitationes, intentiones, volitiones suas. Ergo etiam *Spiritus Dei novit, quæ in Deo & per consequens revelare potest iis, in quibus est & operatur.* Jam subsumit Paulus v. 12. *Atqui nos accepimus Spiritum ex*
Deo

Deo , & quidem , ut sciamus ea , quæ a Deo gratiosè nobis donata sunt , qualia sunt evangelica. Unde non mirum , fideles nosse mysteria , veritates supra rationem & sensus. Qui spiritu mundi aguntur , hæc ignorant. Nos vero spiritum mundi non accepimus , sed Dei. Quo Spiritu etiam agimur , loquimur , instituimus , conferimusque spiritualia , illustramus , hinc probamus , deducimus. Longe aliter comparatum cum Homine , qui Spiritu Dei caret , qui tantum ψυχικὸς animalis , qui ψυχὴν animam cum facultatibus suis habet. Hic non recipit τὰ τῷ πνεύματι , non solum , quæ Spiritus Dei , non excogitat , sed prædicata non δέχεται recipit , probat , æstimat. Causa. Stultitia ei sunt , absurda stulta , noxia habet. Quomodo ergo ratio principium , norma vel iudex mysteriorum evangelii ? Surgit Apostolus : Non potest cognoscere , non possibile est , ut merus ψυχικὸς cognoscere queat. Ratio. Quia , quæ Spiritus Dei sunt , πνευματικῶς dijudicanda. At ψυχικὸς Spiritum Dei non habet. Qui oculos non habet , cernere , de coloribus judicare nequit. Nam nemo cernere , de coloribus judicare valet , quam usu oculorum. Ita quoque , qui Spiritum Dei non habet , non potest judicare de iis , quæ sunt Spiritus Dei. Ex opposito πνευματικὸς qui Spiritum Dei habet , omnia , quæ sunt Spiritus Dei , dijudicat v. 15.

§. VII. *Dein Principium Nomothesiæ Christianæ non est auctoritas humana.*

Probe tenendum : Non quæri , annon homines circa Nomothesium Christianam quosdam usus

præstare queant? Annon iis incumbant quædam officia ad hanc Nomothesium scrutandum, probandum, propagandum, defendendum? Quod omnino concedimus, imo probamus. Sed quaeritur: An auctoritas humana sit Principium Nomothesium Christianæ? hoc est: An homines, qua homines, quicumque illi, pro absoluto Imperio Jus & Potestatem habeant aliis in causis Religionis Christianæ præscribendi: Hæc & non alia esse credenda, profitenda, agenda, colenda, speranda, quam quæ illi auctoritative præscribunt; habere hinc jus cogendi, animadvertendi in illos, qui aliter profitentur, vivunt, colunt, sperant? Hoc est quod negamus, & sequentibus argumentis destruimus.

Ecclesia christiana toties dicitur *Regnum Dei* Marc. I. 15. X. 14. Joh. III. 3, 5. Act. I. 3. Etiam *Regnum Cælorum* Matth. III. 2. IV. 17. *Regnum, quod non de hoc Mundo* Joh. XVIII. 36. Ergo nomothesia ecclesie christianæ est divina, cœlestis, non mundana. Dogmata, cultus, Regimen divinum, cœleste, non mundanum. Ergo nomothesia ecclesie christianæ non est humana. Homines, qua homines, non habent potestatem leges ecclesiasticas cum auctoritate præscribendi. Nomothesium contrariæ una stare nequeunt. Dein homines in ecclesia christiana spectantur ut *Servi Christi*. Eph. VI. 6. Act. II. 18. *Ancillæ* Luc. I. 38. Act. II. 18. *Populus Dei* I. Petr. II. 9. *Domus Dei* I. Tim. III. 15. At populus, servi, ancillæ, domestici non habent jus cum auctoritate præcipiendi, sed accipiunt, præstant Leges a Dominis præscriptas. Præterea si homines res religionis christia-

christianæ cum auctoritate præcipiunt, tum vel præcipiunt juxta rationem, vel supra vel contra eam. *Non juxta rationem*, nam nomothesia christiana ex mysteriis constat, ut modo ante plenius probatum. *Non supra rationem*. Quod supra rationem, homo rationalis ignorat, non recipit, non probat. Quomodo præcipiet? *Non contra rationem*. Quale esset præceptum? Homo rationalis nihil præcipit, quod contra principium suum. Non præcipiet religionem irrationalem. Insuper si auctoritas humana esset principium nomothesiæ christianæ, tum staret auctoritas penes omnes. Omnes homines conjunctim, vel plures, vel paucos separatim. Nullum dici potest. *Non primum*. Alias essent tot legislatores, quot homines. Qualis nomothesia? Quale Regimen? *Non secundum*. Quare tot alii excluduntur, qui quoque homines? Homo in hominem & ejus conscientiam nullum imperium habet, maxime in ecclesia christiana Rom. XIV. & toties alibi. Vel quis ei potestatem dedit? Et per consequens etiam *tertium* dici nequit. Si potestas leges ferendi in ecclesia christiana esset penes homines; tum vel parentes, vel principes, vel ecclesia & ejus ministri haberent talem potestatem. At hanc potestatem non habent illi, non isti, non hi, quod nunc *κατὰ μέρος* deducendum & probandum.

§. VIII. *Principium religionis christianæ non est auctoritas Parentum.*

Parentibus curam circa religionem, maxime christianam, non simpliciter denegamus. Primum jus in liberos suos habent. Hinc curant non so-

lum pro bono eorum corporali, terrestri, temporali, sed & spirituali ac æterno. Æquum est & præscindit innumeras lites, si parentes liberos suos juxta placita propriæ religionis usque ad annos discretionis educant & educandi copiam tenent. Educare tenentur, quod certum. Jam non educabunt juxta articulos alienæ religionis, ceu quod esset contra conscientiam. Parentes christiani obligati sunt *liberos in castigatione & hortatione Domini educare*. Eph. VI. 4. At negamus auctoritatem parentum tantam esse, ut liberi, qui discernere valent inter verum & falsum, bonum & malum, credere, colere, sperare debeant, ut parentes pro auctoritate præcipiunt.

Argumenta sunt: *Primum ex sacris: Matth. X. 35. Veni, ut dissidere faciam hominem adversus Patrem suum & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam. Et v. 37. Qui amaverit patrem aut matrem supra me, non est me dignus. Conf. Luc. XIV. 26. Si quis venit ad me, nec odit PATREM SUUM AC MATREM - - non potest meus esse discipulus.* Certum est Christum venisse, ut liberi debita officia parentibus præstarent, eos diligere, honorarent. Non enim venit *ad solvendum legem* Matth. V. 17. XV. 4-7. Quo sensu ergo ait doctor cœlestis: *Veni, ut dissidere faciam - Qui non odio habet patrem suum - - is discipulus meus esse nequit?* Hoc. Genuinus discipulus Christi simpliciter credit, profitetur, sperat id omne & solum, quod Magister præcipit, & colit ea ratione, qua cultus ipsi mandatus. Parentes aliam profitentur religionem, damnant christianam, unde liberis sub gravissima pœna paterna interdicunt professione

ne

ne religionis christianæ. Cui obsequendum? An auctoritati Parentum? Non. Alias non potest esse Discipulus Christi, Christum præ parentibus amat, imo in hoc casu parentes odio habet. Atque ita Christus venit *ad dissidere faciendum*. *Secundum*. Principium nomothesiæ christianæ est vel auctoritas omnium parentum, vel quorundam. *Non illa*. Longe plurimi parentes dantur stupidi, rerum christianarum prorsus ignari, contemptores. Quomodo illi liberis auctoritative imperant dogmata, præcepta, cultum &c. Dantur liberi (casus dabilis est) qui solida religionis christianæ fundamenta habent, manibus quasi palpant tenebras, errores, infidelitatem, impietatem parentum. Quid hic faciendum? An tales liberi extinguere debent lumen, quod a Deo acceperunt? An tenebras, errores, infidelitatem parentum probare, profiteri, sequi debent? Minime. Conscientia non permittit. *Non hæc*. Vel quorum parentum auctoritas tanti ponderis? Quis discernet? An ipsi parentes? Communiter omnes opinantur se de religione christiana vere judicare. Præ aliis cæci & fervidi sibi videntur, oculati & fideles christiani. Fatendum tamen parentes vere christianos præ omnibus aliis jus habere liberos in religione sua informandi. *Tertium*. Filius Dei, Caput ecclesiæ, jussit *Evangelium prædicari omni creaturæ*; cum hac conditione: *Qui credit & baptizatur, salvabitur. Qui non credit, damnabitur*. Jussit *summa instructus potestate*, Marc. XVI: 15, 16. Matth. XXVIII: 19, 20. Citra dubium inter omnes creaturas etiam erant liberi, iique judicio discretionis pollentes. Annon etiam his Evangelium prædicatum erat? Annon inter ter mille animas, quarum mentio Act. II.

etiam liberi erant, quorum parentes infideles manserunt? Quis negare potest? Recte & his Evangelium proponebatur. Recte & hi insciis aut invitis parentibus Evangelio Christi fidem habuerant.

§. IX. *Principium Religionis Christianæ etiam non est auctoritas Magistratus, Principum hujus Seculi.*

Rex Regum sapientissime præcipit: *Date Cæsari, quæ Cæsaris.* Officia erga Magistratum a subditis cujuscunque ordinis testanda sunt sanctissime & ex conscientia Deo præcipiente. Sed *danda quoque sunt Deo, quæ Dei.* Quo major hic Dominus, eo magis curate testanda sunt officia erga eum. Quæritur igitur: Quænam Cæsaris, & quænam Dei? Cæsaris sunt census, tributum, timor, obedientia in rebus secularibus Matth. XXII: 21. Rom. XIII: 7. Conservatio status tranquilli in politica: Protectio subditorum, qui Cæsari dant, quæ Cæsaris, contra quosvis turbulentos, etiam cæcos zelotas in causa Religionis. Cæsaris vero non sunt res conscientiæ, Religionis Christianæ. Ejus non est cum auctoritate cæsarea definire credenda, profitenda, agenda, cultum & spem. Multo minus in conscientiosos aliter profitentes, colentes, sperantes animadvertere, carceri includere, in exilium mittere, vita privare, si in politicis Cæsari dant, quod Cæsaris est. At Dei sunt res conscientiæ, Religionis Christianæ, ejus dogmata, præcepta, cultus, spes, regimen proprie ecclesiasticum. Deus, Filius Dei talia solus mandat, cognoscit, ducit, punit, ut suo loco plenius dicemus. Sufficit citasse testimonium palmarium: *Mihi data est omnis Potestas in cælo & in terra*
[quod

[quod probe notandum.] Argumenta sunt, *primum: Auctoritas Magistratus, Principum nullibi a Christo proponitur inculcatur ceu Principium Nomothesiæ Christianæ.* Vel ubi? Præcipit Cæsari dandum, quod Cæsaris, sed etiam præcipit Deo dandum, quod Dei. Hoc æque observandum ac illud. Dein se solum Dominum, Doctorem, Præceptorem, Caput, Regem Ecclesiæ Christianæ sistit Matth. XXIII: 8. XXVIII: 20. Joh. XIII: 13. Eph. I: 21 - fin. Luc. I: 32, 33. Hoc ipsum confirmatur Scriptis Apostolorum. Nullum vestigium auctoritatis principalis, secularis in articulis Christianæ Religionis definiendis, controversis dijudicandis. Alia auctoritas quam Filii Dei ab Apostolis non agnoscebatur. Paulus provocavit quidem ad Cæsarem Act. XXV: 11. non ad cognoscendum res Religionis Christianæ, sed consulendum vitæ suæ contra seditiosos Judæos, quod utique licitum. Dein si auctoritas magistratus est principium Nomothesiæ Christianæ, quæritur: An auctoritas hæc stet penes omnem Magistratum, qua Magistratum, vel an penes quendam tantum? *Prius non dicetur.* Datur enim Magistratus infidelis, Ethnicus, Judæus &c. Talis neque valet, neque vult res Religionis Christianæ probare, promovere, defendere. Quin abutitur Potestate sua contra Religionem Christianam, sicuti ævo Apostolorum & primorum Christianorum sæpius factum est. *Nec posterius.* Vel quis ille Magistratus & quo Jure? Dices: Christianus pius, fervidus pro Religione Christiana. Bene. Si omnium Christianorum est salutem Religionis Christianæ promovere, tum maxime Magistratus Christiani, sed hoc non quæritur. Quæritur: An auctoritas Magistratus sit principium Nomo-

Nomothesiæ Christianæ? Hoc est probandum. Quod vero ex Evangelio probari nequit. Quare Magistratus vere Christianus nunquam sibi arrogabit gloriam in populum Dei, quæ solius cœlestis Domini Jesu Christi. Dein Magistratus Christianus hoc tempore est vel Catholicus, vel Reformatus, vel Lutheranus. Quis ex his principium Nomothesiæ Christianæ? vel cujus est Religionem Christianam promovere? Catholicus stabit pro Catholico; Reformatus pro Reformato; Lutherus pro Lutherano. Hinc vero hostilitates, contentiones, bella & ingentia mala. Quilibet Magistratus judicat de propria Religione, quod præ reliquis sit Christiana, & quod ipse caput. Insuper qui hodie est Magistratus Catholicus, Lutheranus mutat Religionem, amplectitur aliam, quid tum? An manet principium Nomothesiæ Christianæ? Vel an populus subjectus cum Magistratu professionem Religionis mutare debet? Hæ contrariantur ideæ Religioni, maxime Christianæ. Præterea Magistratus, princeps ipse est ignarus rerum divinarum, christianarum; Vix intelligit Religionem naturalem, multo minus Christianam, quomodo legislator, interpretes, judex Nomothesiæ Christianæ esse potest? Porro si leges Religionis cum Imperio mandat, an simul efficere potest, ut credantur, probentur, ex animo fiat professio, cultus? Impossibile. Conscientiosus constanter affirmabit: Quæ Dei sunt, Deo dabo. Hypocrita quidem ore lucri, honoris, metus causa probat, quod in corde non credit, reprobatur. Sed an talis est religiosus Christianus? Minime. Est turpis mendax, filius Diaboli, perfidus Deo & Magistratui. Quando Pseudo-Politici urgent: *Cujus est Regio, ejus Religio,*
Axio-

Axioma est Deo, Filio Dei, sanæ rationi detestabile, probrosum, ipsis societatibus varie perniciosum, ut superiori Sect. §. IV. plenius probatur.

§. X. *Tandem Principium Nomothesiæ Christianæ non est Auctoritas Ecclesiæ, sive Ministrorum Ecclesiæ.*

Non rejicimus Ministerium Ecclesiæ Christianæ vel fidorum Ministrorum: Absit. Agnoscimus & veneramur varium usum in canone Scripturæ custodiendo, commendando, interpretando, applicando, controversiis examinandis, cultu, collectione, gubernatione, defensione membrorum, disciplina. Agnoscimus & veneramur quoque potestatem prorsus singularem, excellentem, realem, aliquando terribilem, sed spiritualem, invisibilem, in nomine Jesu Christi & juxta leges ejus. Rejicimus vero auctoritatem Ecclesiæ & Ministrorum summam, infallibilem, externe coactivam citra liberum examen & professionem, a qua simpliciter in rebus fidei, morum, cultus, controversiarum decisione, disciplina sit dependendum adeo, ut illud sit verum, pium, bonum profitendum, tenendum, quod ab Ecclesia, etiam particulari, ut Romana, vel alia aliqua, aut Concilio, Synodo, Consistoriis, Episcopis, uno, paucis vel pluribus determinatur, imponiturque sub gravissima pœna a singulis credendum, profitendum, agendum, observandumque.

Argumenta. *Primum*: Auctoritas Ecclesiæ sive Ministrorum Ecclesiæ non potest esse principium Nomothesiæ Christianæ. *Non Ecclesia*, quæ populus Dei. Populus non dat leges, sed accipit. Unde Ecclesia gloriatur: *Jehova est יְהוָה לְגִישׁוֹ* Legislator

lator noster Jes. XXXIII. *Non Ministri Ecclesiæ.* Si leges Religionis cum auctoritate darent, explicarent, controversias deciderent, graviter & per brachium seculare punirent, non essent Ministri, servi Jesu Christi, sed Domini Ecclesiæ. At Ministri in sacris dicuntur ac revera sunt. *Alterum:* Ecclesia N. Testamenti est *regnum Dei cælorum*, ut jam supra §. VII. dictum; ergo Nomothesia Christiana a Deo, ex cælo, modo cælesti, divino datur, conservatur, custoditur. Si vero principium esset auctoritas Ecclesiæ vel Ministrorum, tum non esset *regnum Dei, cælorum, sed humanum* vid. supra. *Tertium:* Nomothesia Ecclesiæ & Ministrorum contrariatur doctrinæ Christi, ceu quæ doctrinas & præcepta hominum in causa Religionis rejicit. Probatur Matth. XV: 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.* Cultus talis, vel quod idem est, Religio vana, inutilis, Deo est ingrata. At quæ illa? Quæ docet *doctrinas, & præcepta hominum*, non solum falsa, impia; modo sint humana, ceu quæ *regnum Dei tollunt.* Imperator non permittit, ut Ministri leges Imperio præscribant. Nexus & occasio lucem & vim dant. Scribæ discipulos apud Magistrum accusarunt: *Quare discipuli tui transgrediuntur παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων Traditionem Seniorum?* Quam? Manus non lavare ante esum. Quid ad hæc cælestis Doctor? An reprehendit discipulos? An probat scribarum hypothesein; traditioni Ecclesiæ esse parendum? Minime. Verum cultum quæstionis declarat innitentem doctrinis & præceptis hominum. Forsan diceres: Christum rejicere traditiones, doctrinas & præcepta Ecclesiæ Judaicæ, eaque falsa, impia. *℞. Non.* Rejicit *ἀνθρώπων hominum*, quicumque illi.

illi. Dein quæ ratio doctrinarum & præceptorum Ecclesiæ Judaicæ, eadem Christianæ, imo hujus major. Sub. V. Testamento nondum erat *regnum Dei, cælorum* sensu Evangelico. Major erat potestas Ecclesiæ V. Testamenti, quam novi: Filio Dei capite constituto, ut suo loco plenius. Nec Christus loquitur de doctrinis & præceptis falsis, impiis, sed simpliciter *hominum*. Nulla causa docendi vanum esse cultum innitentem doctrinis, præceptis falsis, impiis. Quis ignorat? Talis cultus non solum esset *vanus*, sed & *impius*. Occasio docet. Quæstio erat: De lotionem manuum præmittenda esui panis. Quæstio videri posset non magni momenti, consistere cum tot aliis legibus *Purificationum*. Summus Judex tamen refert ad cultum *vanum, ortum ab hominibus*. Quot ejusmodi ritus simillimi ceu necessarii, sancti, meritorii dominantur in Ecclesia, quæ pro Traditionibus stat. *Quartum*: Nomothesia Ecclesiæ & Ministrorum contrariatur quoque Apostolorum, Pauli & Petri. Præmittam Argumentum Achilleum, quo Paulus plenissime & fortissime pugnat contra omnem auctoritatem hominum, qui Ecclesiæ Dogmata, præcepta, cultum obtrudunt, eximuntque fideles è solo Dominio Jesu Christi. Lege cap. II. ad Coloss. a v. 6 - fin. Apostolus Christum sistit Caput, idque unicum ac sufficiens, liberatorem ab omni alia Jurisdictione in Causis Religionis Christianæ. Unde clare sequitur Principium Nomothesiæ Christianæ aliud, quodcumque illud, non dari. Patet ex v. 19, 20. Christus est *Caput firmiter tenendum, ex quo totum Corpus per Commissuras & Vincula suppeditatum ac corroboratum crescit ad Incrementum Dei*. Corpus naturale duo
capita

capita non habet ; unicum sufficit , quod spiritu jugiter influit in corpus & omnia membra. Si hæc vera sunt de capite naturali , quanto magis supernaturali , divino , *in quo habitat omnis Plenitudo Divinitatis corporaliter* , non tantum immanenter , sed & transitive , unde additur : *Et estis in illo impleti* v. 9 , 10. Illi debemus Libertatem a Lege Morali condemnante , a Lege Ceremoniali Divina , multo magis a statutis humanis Ecclesiasticis v. 14 , 16 , 18 , 20 , 21. Nec hoc solum , sed & dehortatur ab aliis dogmatibus & præceptis suscipiendis v. 8. *Videte , ne quis vos spoliet per philosophiam & vanam seductionem secundum traditionem hominum , secundum elementa mundi & non secundum Christum* & v. 20. *Si igitur mortui estis cum Christo elementis mundi , quare , ac si viveretis in mundo , permittitis , ut dogmata vobis imponantur ?* Genuini igitur Christiani his dehortationibus obsequuntur , cavent sibi , ne quis , quicumque ille , *spoliet* , privet Beneficiis a Christo partis , speciatim Libertate , quocunque etiam modo , titulo. Expressis verbis memorat *traditiones hominum , elementa mundi & non secundum Christum*. Dogmata , præcepta , cultus , quæ dependent ab Auctoritate Ecclesiæ vel ministrorum sunt traditiones hominum , non Jesu Christi , quibus nulla fides , obsequium nullum præstandum. Servi & Fideles Jesu Christi de iis tanquam spiritualibus prædonibus , interceptoribus Brabeorum cœlestium in spiritu opponere debent v. 8 , 18. Mortuorum instar nulla admittere dogmata , Animum & Aures coram iis obthurare. Hinc notanter scribit Apostolus : *Quare ac si viveretis in mundo permittitis , ut dogmata vobis imponantur ?* v. 20. Qualia statim subjiciuntur

v. 21. *Ne tangas , ne gustes , ne contrectes.* Quæcunque Ecclesia talia dogmata imponit , atro carbone notatur ceu contraria Religioni Christianæ. Plenius exprimit idem Apostolus tanquam doctrinas dæmonum oriundas , quod singulariter notandum , in POSTERIORIBUS , vel ut vulgatus habet , NOVISSIMIS TEMPORIBUS scil. eorum , *qui prohibent contrahere matrimonium , qui præcipiunt abstinere a cibis , quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.* 1. Tim. IV. 1, 2, 3. Frustra objicis ; Paulum loqui de seductoribus sui ævi. R. Generaliter loquitur de omnibus , qui Ecclesiæ Christianæ traditiones & dogmata humana cum auctoritate imponunt & ita abnegant unicum sufficiens Dominium Jesu Christi. Providum Numen gratiose prospexit , prædicens , monens , quod talia dogmata in *posterioribus vel novissimis temporibus* sint exstitura. Quidquid prætexi solet , est *Tela Araneæ* , ut prævidit Apostolus & hinc scripsit , quod habeant quidem λόγον σοφίας RATIONEM , Speciem sapientiæ IN CULTU VOLUNTARIO ET HUMILITATE ET LÆSIONE CORPORIS v. 23. non vero veram cœlestem Sapientiam , non originem eorum ex Deo , utpote sunt *præcepta & doctrinæ hominum* v. 22. Impossibile est ex Novo Testamento probare matrimonium Clericis esse prohibitum , certos cibos certo tempore haud esse comedendos. Quia non constituimus numero argumentorum certare , supersedemus alia testimonia ex scriptis Paulinis conquirere. Statim progredimur ad Petrum , qui putatur primus Pontifex Romanus , Judex adeoque in Ecclesia Christiana summus , infallibilis , interpres cum summa auctoritate , adeo ut omnes

alii servi & fideles ab Interpretationibus, decisionibus ejus dependere & simpliciter in iis acquiescere debeant. Si vero talis potestas penes Petrum erat, probanda illa a Domino Ecclesiæ in eum certo collata, ab Apostolis agnita, ab ipso Petro possessa & exercita. Nullum valet: *Non primum*: Dominus Apostolos suos pares fecit, speciatim ascendens in cœlum Matth. XXVIII. 18. f. Marc. XVI. 15. *Non secundum*: Vel ubi vestigium? Quomodo Paulus Petrum reprehendisset *non incedentem ad veritatem Evangelii, consimulatorem*, qui Judæos Græcosque offenderat. Gal. II. 13, 14. *Non tertium*: Ipse I. Epist. V. 1. Se *Conseniorum*, ut credere fas est, in veritate, non vero ficta mundana humilitate nominavit, adeoque sibi non majorem potestatem in religione adscripsit quam Senioribus. Si ex Mandato Domini, Filii Dei constitutus ejus Vicarius, Caput & Judex Ecclesiæ, tanto magis titulum eminentissimum bona conscientia præmisisset, quia scopus erat seniores hortari ad munere dextre defungendum. Ejusmodi titulus vere ei competens vim & pondus dedisset hortationi. Dein hortatus erat v. 2. ad ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον τῆς Θεῆς *pascendum Gregem Dei*, quod officium Petro erat impositum. Joh. XXI. 16. ποιμαίνε *pasce oves meas*, hoc ipsum adscribitur senioribus, alibi Episcopis Act. XX. 28. Idem exstat vocabulum exprimens curam pastorem, non dominium, imperium auctoritativum. Unde statim v. 3. dehortatur *neque ut dominantes in clericis cum auctoritate imperando credenda, agenda, speranda, colenda*. Quin sitis *Exemplaria Gregis*, præeundo in fide, vita, cultu & spe, memores quod pastorum servi sitis, non Domini. Quare
statim

statim v. 4. meminit Ἀρχιεπιτοίμενος, Principis Pasto-
rum, ex cujus nutu & mandatis Domino servira
teneantur. *Quintum*: Omnibus & singulis Chri-
stianis, non solum Episcopis, Ministris, sed &
Gregariis, cujuscunque classis, licentia, imo man-
datum officium est omnes res Religionis Christia-
næ, etiam controversias, juxta conscientiam &
verbum Dei cognoscendi, examinandi, rejicien-
di, retinendi. Ergo non datur principium Reli-
gionis Christianæ auctoritativum, quod penes Ec-
clesiam aut Ministros. Consequentia clara & cer-
ta. Alias non staret penes omnes & singulos Chri-
stianos res Religionis cognoscere, dijudicare, pro-
bare, improbare. Ipse summus Propheta Matth.
XXIV. 4. *Videte quis vos seducat. Multi enim ve-
nient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, &
multos seducent.* v. 23 - 27. *Tum si quis vobis dicet:
Ecce hic Christus aut hic, nolite credere, surgent enim
falsi Christi & falsi Prophetæ ac edent signa magna &
prodigia, adeo ut seducturi etiam electos, si possibile.
Ecce hoc vobis prædixi.* Prædictio Christi certa. In
Ecclesia Christiana existent multi seductores, falsi
Christi, falsi Prophetæ, Miraculis quoque clari,
actu seducturi multos, prætendentes tamen se in
Nomine Christi venire, digito quasi monstrantes:
Ecce hic Christus vel hic. Hæc vera Ecclesia Chri-
stiana, unica, cui nomen dandum. Quem in
finem hæc prædicta, *ut caveamus nobis. Ut iis
non credamus.* Si vero in rebus Religionis Christia-
næ dependendum ab Auctoritate Ecclesiæ vel Mi-
nistrorum, in periculo seductionis versamur. Pec-
camus contra paternam monelam Prophetæ no-
stri. *Videte, ne quis (quicumque ille) vos seducat.*
Dein in prima Johannis Epistola Cap. IV. i. &

Cap. II. 24, 27. *Illo: Dilecti, nolite omni Spiritui credere. Explorate Spiritus, an ex Deo sint, quoniam multi Pseudo-Prophetae in mundum intrarunt.* Apostolus vetat credulitatem omni Spiritui credere, qui jactat suam religionem veram esse; commendat curatam explorationem, *δοκιμάζειν* explorare (Aurifabrorum instar metallum quæstionis in ignem immittentium:) *Spiritus, an ex Deo sint.* Subjuncta gravi ratione: *Quoniam multi Pseudo-Prophetae in mundum intrarunt.* Qui omni spiritui credit, qui non explorat, facillime fallitur. Falsi doctores communiter sunt impudentes, & respuunt curatius examen. *Hoc.* Recenset Johannes Seductores, qui tum Ecclesiam decipere voluerant, commendatque prudentiam. Certus de veritate religionis suæ non gloriatur Thraconicorum more: *Penes me stat veritas. Cœce credite mihi. Hæretici sunt omnes alii. Non.* Monstrat rationem veritatem dignoscendi, non via auctoritativa, sed exploratoria secundum certa media, externum & internum. *Illud: Si in vobis manet, quod ab initio audivistis, etiam vos in Filio & Patre manebitis. Hoc. Et vos quod attinet unguentum, quod accepistis ab illo, in vobis manet & non indigetis, ut quis vos doceat, sed ut illud unguentum vos de omnibus docet & verum est, & non mendacium & ita docuit vos, manete in illo.* Recte itaque controversias examinamus non simpliciter doctoribus credendo, sed conferendo cum verbo evangelico AB INITIO, non traditionibus incertis, quæ ipsæ explorandæ sunt; dein attendendo ad Spiritum S. qui in omnibus veris christianis est operaturque Rom. VIII. 9. Joh. XVI. 13. *Hujus institutio vera est & non mendax. Qui hunc doctorem habet, non indiget doctore*
exter-

externo cum auctoritate res religionis obtrudente. Quod ipsum Paulus passim confirmat, ut I. Cor. X. 15. *Tanquam prudentibus dico. Judicate ipsi, quod dixi.* Magnæ auctoritatis Apostolus non exigit, ut verbis suis absoluta fides habeatur. Concedit Corinthiis liberam ἐπιλογισίην de Themate controverso. *Vobiscum tanquam prudentibus loquor.* Honorat illos, tanquam prudentes, qui ipsi de veritatibus judicare valeant. Qui vero postulant cæcam fidem, illi oculos quasi auditoribus eruunt, ut cæcos, mente captos tractant: Non alio fine, quam ut doctrinis & præceptis humanis sine demonstratione ad conscientiam simpliciter credant. Dein I. Theff. V. 21. *Omnia explorete, quod præclarum, retinete.* Exploratio ergo in rebus religionis omnibus incumbit, non Episcopis tantum, sed & gregariis Christianis. Hi enim compellantur. De rebus religionis in nexu agitur. Nec exploratio nonnisi injungitur, sed insuper *officium præclarum*, verum, bonum retinendi, ac vi oppositionis contrarium rejiciendi. Insuper I. Cor. II. 15. *Spiritualis vero omnia dijudicat, ipse vero a nemine dijudicatur.* Spiritualis minime est clericus, *ein Geistlicher*, ut hodie dicitur, sed omnis genuinus Christianus, qui Spiritum Christi habet Rom. VIII. 9. Gal. VI. 1. qui hinc πνευματικῶς per Spiritum Dei de rebus spiritualibus, evangelicis recte judicat. v. 14. *Talis vero a nemine dijudicatur.* Non agnoscit dijudicationem auctoritativam, vel judicem, quicumque ille, pro imperio dicentem: Hoc verum. Hoc falsum. Tuum est positionem, quam ego veram declaro probare, falsum vero, quam ego falsam habeo, rejicere. Minime. Peccaret in Spiritum S. contra privilegia no-

vi fœderis, si talem judicem agnosceret. Jer. XXXI. 34. Joh. VI. 45. I. Joh. II. 27. *Sextum*: Principium Religionis Christianæ unicum sufficiens est Verbum Dei, V. & N. Testamento consignatum, recte intellectum, fons, norma & iudex rerum fidei, vitæ, cultus, spei, regiminis. Ergo principium esse nequit Auctoritas humana, paterna, magistratus, speciatim etiam ecclesiastica. Duo contraria una consistere nequeunt, uti posterius jam hac sectione destructum; sic prius sequente plenius adstruetur.


§. XI. *Ultimo Principium Religionis Christianæ non est Historia, sive recensio dogmatum, præceptorum, cultus, spei, regiminis ecclesiastici, quæ his vel illis seculis obtinuerant.*

Hoc principium est omnium infirmissimum. Historia est recensio factorum, quæ vero veritatem articulorum fidei minime probat. Non sequitur: Hic articulus fidei, docebatur seculo VI. VII. imo etiam I. II. Ergo verus. Historia, si alias certis monumentis innititur, nonnisi probat, quod doctrina hæc hoc vel illo seculo, in hac vel illa ecclesia, ab hoc vel illo Patre publice tradita fuerit. Non licet concludere: Ergo doctrina vera est. Illis ipsis seculis traditi quoque errores, observatus etiam cultus superstitiosus. An ergo errores ob veritatem historicam fiunt articuli fidei probati? Historia per se non probat veritatem, nec demonstrat errorem. Illustremus duobus Exemplis. *Docetæ* jam primo seculo vixerant docuerantque. Si hodie asseclas haberent, (ut forsitan habent) speciose provocarent ad primam antiqui-

tiquitatem in historia N. Testamenti : *Sententia nostra jam patronos habuit seculo primo , secundo . Ergo vera est .* Alterum . *Ævo Christi movebatur quæstio de libello repudii . An licitum sit quamlibet ob causam scribere , uxores dimittere . Hilleliani illo tempore doctores gravissimi multo numero stabant pro affirmativa , sed Schammæani pauci pro negativa . Controversia hæc delata ad summum Doctorem . Quomodo respondit ? Annon legistis ? &c. Matth. XIX. 4. decidit ergo controversiam ex Verbo Dei , ceu iudice reali . Hilleliani provocaverant ad antiquitatem , ad tempora Mosis , ad Mosen ipsum : *Moses præcepit dare libellum repudii . v. 7. Doctor constans manserat in responso suo theologico . Inhærendum primæ divinæ constitutioni de conjugio . Quod Hilleliani vocant ἐνταλμα , Præceptum , Christus declarat pro mera permissione . Moses permisit ob vitiosum statum gentis Judaicæ . Ob duritiem cordis . Ἀπ' ἀρχῆς ab initio non erat sic .* Omnium primum principium , idque divinum cum legibus conveniens est rectum principium articulorum Fidei . Hoc sensu valet . *Quod est antiquissimum , est verissimum .* Non vero historia , quæ ante aliquot secula contigit , quæque primo divino principio , legibus divinis , rationibus contraria . Unde illi ipsi , qui tenaciter stant pro antiquitate , asserunt , argumenta ab antiquitate nihil probare , quando statutis recentioribus ecclesiæ adversantur . Historia antiqua , quæ favet , valide probat ; sed antiquior , imo antiquissima , divina . Omni robore caret si hypothesibus non favet . Jesum Christum S. Cœnam sub utraque specie instituisse , hinc sub utraque esse celebrandam , quid clarius ? quid antiqui-*

us ? Testatur praxis in ecclesia primitiva. Testan-
 tur Patres, sed quia ἀρχὴ *principium* divinum con-
 trariatur, hypothesei ecclesiae recentiori, etiam
 divina antiquitas nullam meretur fidem. Dicunt:
Est opinio haereticorum.

FINIS.



Bre-